



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 6. Parricidale facinus inuidæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](#)

rius vult illi malum. Et quantum malum?  
ipsam deniq; mortem. Inuidia diaboli mors in- Sap. 2.24.  
troiuit in orbem terrarum. imitantur autem  
illum, qui sunt ex parte illius. Quid clarius?  
Alius alium per inuidiam occidit. Et cui par- Sap. 14.  
ceret, si filius non parcit parenti? si, vt S. S Chrys.  
Chrysostomus ait, inuidia pestiferum malum, hom. 41.  
hominem in diaboli conditionem ac demonem im- in Matth.  
manisimum conuertit? Cuius exemplum vide,  
in hoc filio regis, qui non tantum diabolus,  
sed iure etiam catenatus diabolus est appella-  
tus, ita quandam velut catenam contexuit  
nefandorum flagitiorum.

Quia enim hoc vnum illi ad malitiæ pleni-  
tudinem deerat, vt, qui scelere esset summus,  
summus etiam fieret potestate, eò usque in-  
temperijs est agitatus, vt de patre necando  
consilium caperet, cum regia potestate im-  
punitatem comparaturus omnia, quæ ani-  
mus vellet, perpetrandi. Cùm autem me-  
tuendi illi essent ceteri fratres, cædem utiq;  
paternam ulturi, statuit, una strage, & pa-  
trem & metum tollere. Audite hic linoris in-  
auditam crudelitatem, & magnitudinem sce-  
leris agnoscite. Captata noctis, somniique  
dormientium occasione, stricto pugione, per  
cubilia, immo & lectos singuloram obiit, &

VI.  
PARRICIDIA  
DALE FA-  
CINVS IN-  
VIDIAE.

170 Cap. IV. De inuidiae immanissimo malo  
parricidali impietate, patri primūm, mox &  
matri, notiem deinde ceteris fratribus ocu-  
los effodit, vt videre non possent cladem se-  
culturam. Solum decimum è fratribus, natu  
minimum stoliditatis opinio ab hac immani-  
tate exemit. Quis hīc non videat, fabulam  
initio à me recitatam, in historiam transisse,  
& inuidum progredi, vsque ad oculos alijs  
eradicandos? Sed nondum est finis. Viginti  
duos oculos, in vna patina cruentatos, &  
oculos suorum, siccis ipse, immo gaudenti-  
bus oculis aspexit. Non illum patris maie-  
stas, non matris amor, non fratrum dulcis  
consuetudo mouit. Adeò saxeus fuit, vt ne-  
que miserabili aspectu tot calamitosorum  
percelleretur. Ita crudelissimè excæcatos, &  
orbitatem, quam lachrymis deplorare non  
poterant, eiulabili questu lamentantes, in-  
vnum conclave conduxit, &, subdito igne,  
viuos concremauit. Tanta est libido regnandi,  
tantus inuidiæ furor, tanta amentia liu-  
ris, sua commoda, per aliena damna promo-  
uentis.

VIL  
QVAM  
DEPLO-  
RANDVM  
INVIDIAE  
MALVM?

Ad tam barbarum facinus, quasi excusso  
veterno, & stupore abiepto, frater minimus,  
solus adhuc superstes, è regia prosiliens, & per  
publicas vndique plateas circumcursans, ac  
demum